Quelle:
Copyright:



Hoffmann autem in Lex. Univ. T. 2. p. 789. filium naturalem Alberti III. Archid. Austriæ, nomine Leopoldum, Vindobonæ Mathesin docuisse, et ibidem primum hujus scientiæ Professorem circa an. 1366. asserit. Adeat, qui potest, Scriptores de Acad. Vienensi, Geor. Eder, Car. Musartum, et Jos. Reichenaw.

Cod. XXIX.

Chartac. Fol. min. Sæc. 16.

A. 3. 5.

Gregorii Hageni vel Matthæi cujusdam Chronicon Austriæ.

Ex bibliotheca Schwandneri

Ex Bibliotheca Clariss. D. J. G. Schwandneri austriaci Stadelkirchensis ao 1771. comparatus, cujus cura titulus hic deficiens ex Ms. Bibliothecæ Gothanæ ao 1757. mutuatus est, et opus ita inscriptum: "Dis "Hochloblichen Landts Fursten und Erzherzogthum "Osterreich Anfang und Herkomen; Der Herren und "Landts Fursten Regierung bis auf Herzog Wilhelm "und Herzog Albrechten, ist beschrieben durch den "Erbarn Gregorio Hagen im Jahr 1406."

Iste igitur Codex continet Chronicon Austriæ inceptum a primis hujus soli incolis, et usque ad an. reparatæ salutis 1398. perductum, vel a Matthæo quodam (: ut Gundelfingius scribit:) vel a mox memorato Gregorio Hageno, quemadmodum cl. D. Ern. Salom. Cyprianus contendit in Catalogo Mss. Biblioth. Gothanæ a se typis evulgato. Sed quoniam in sex